

mus presbyter cardinalis. Hanc siquidem cantare solet, qui benedicto ense ea nocte donatur aut camerae apostolicae clericus eius loco. Ense autem donatus est hac nocte caesar ... Septimam, quae principium habet evangelii secundum Lucam, ubi scribitur <Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis>, caesar ipse cantavit his caeremoniis:

Primo descendens e sede imperator iuvantibus diaconibus, qui pontifici ministrabant, supra togam, qua quotidie utebatur, indutus est lineam tunicam, quam nonnulli cottam, aliqui superpelliceum vocant. Post haec stolam accepit in morem diaconi super humerum sinistrum religatam sub dextro. Sed cum paludamentum deinde album illi imponerent aptarentque eius aperturam ab humero dextro, ut aliis non initiatis fieri solet, renuit imperator aptavitque illud cum apertura ante pectus, asserens caesarem pluviale et stolam ad morem sacerdotum gestare oportere atque ita, ut in magno caesareo sigillo sculptum vidimus, ubi imperator in sua maiestate sedens paludamento sacerdotali, et subtus stola in crucis modum ante pectus ornatus exprimitur. Cum diaconi stolam ut ille dixerat vellent componere, respondit caesar non opus esse quicquam immutari, quoniam id videret nemo. Gladium vero sacrum, quo eum volebant accingi, non accinxit, sed armigero suo iussit dari, et pileum cuidam ex adstantibus. Donatur enim et pileum quoddam cum ense, ut nosti.

Imperator post haec ante pontificis thronum accendens detecto capite strictum ensem ex armigero manu accipiens eum tertio vibrat redditque statim armigero. Vadensque deinde ad ornatum pluteum, quo liber substinebatur, inclinato capite benedictionem petiit a pontifice. Qua accepta cantavit evangelium usque ad principium homiliae. Homiliam vero prosecutus est cardinalis diaconus, qui ministrabat a sinistris.

Evangelio lecto imperator sacras exuit vestes et inclinata rursum cervice coram pontifice ad sedem suam rediit. Ille autem, qui gladium tenebat sacrum, eum in aurea vagina condidit superposuitque pileum.

Reliquae caeremoniae ordine consueto peractae sunt et in matutinis et in missa nocturna²⁰².

(b) Kardinalpriester Jakob Ammanati (–Piccolomini, „von Pavia“)²⁰³, „Rerum suo tempore gestarum commentarii“.

Pii Secundi pontificis Maximi Commentarii ... Quibus hac editione ac-

²⁰²) Letzteres „von einem Kardinal“ gelesen, Quellentext (a) Sp. 211C.

²⁰³) Über die Karriere des von Kalixt III. zum apostolischen Sekretär ernannten, von Pius II. bevorzugten und in die Piccolomini-Familie aufgenommenen Jacobus Christophori de Ammanatis siehe W. von Hofmann, Forschungen zur Geschichte der kurialen Behörden (1914) Bd. 1 S. 147 und Bd. 2 S. 123.